

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4385

Auteur(s) : Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1185...

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Gautier, archevêque de Rouen, confirme les donations faites aux chanoines de Montmorel.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° X, p. 7-8.

Texte établi d'après a

Walterus Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus omnibus Sancte Matris Ecclesie filiis ad quos presens scriptum pervenerit in Domino salutem. Ea quorum memoriam expedit retineri convenit litterarum apicibus commendari ; eapropter domum canonicorum de Monte Morelli et omnia que eis juste collata sunt et in posterum conferentur sub ecclesie Rothomagensis et nostra protectione suscipientes quedam ex eisdem beneficiis que ad eandem domum pertinent propriis nominibus duximus exprimenda, ne super his malignitas perversorum eosdem canonicos vexare vel perturbare presumat. Hec autem duximus confirmanda : ex dono Rualonis de Hulmo ecclesiam de Polleio et ecclesiam de Presseio et duas garbas feodi de Presseio et campum Elyon et redditum et servicium de Beliarderia, eo tenore quod prenominati canonici debent cotidie divinum celebrare officium in capella de Hulmo et habere decimam molendini de Poilleio et molendini de Presseio, et duas garbas dominici de Presseio que ad eandem pertinent capellam. Ex dono autem Johannis de Solleigneio sedem ejusdem loci et collem nemoris qui eidem loco supereminet, et sedes molendinorum in Beuvrone et cursum aque et terram in qua grancie sunt et vinea. Preterea, ex dicti Johannis dono, Longam Tuscam et decimam censuum suorum de Abrincino et totam decimam molendinorum suorum in Abrincino, excepta decima molendini de Morvioc. Ex dono Willelmi de Duxeio jus presentationis quod habere dinoscebatur in ecclesia Sancti Paterni et in capella Sancti Germani de Duxeio. Ex dono Juhelli de Nemore presentationes quas habebat in ecclesia Sancti Albini et ecclesia Sancti Laurentii de Terra Gasta. Ex dono bone memorie Ricardi quondam Abrincensis episcopi quartam partem ecclesie Sancti Laurentii, salvo in omnibus predictis ecclesiis jure pontificali ; que omnia sancte memorie predecessor noster Rotodus venerabilis archiepiscopus Rothomagensis, prefatis canonicis carta sua quam vidimus confirmavit. Preterea sepedictis canonicis duximus confirmandam ecclesiam de Corcellis et ecclesiam de Gislebervilla et ecclesiam de Bene cum omnibus pertinentiis quas habuerunt ex dono Johannis de Solinni, prout carta ejusdem Johannis testabatur. Et preterea ecclesiam de Bosco Ivonis, de dono Willelmi de Bosco Ivonis ; et insuper heremitagium quod est in Ardena, cum nemore sibi pertinente, de dono Willelmi de Dusseio ; et preterea XX solidos Cenomonensium in prefectura Abrincensi, de dono Hugonis comitis Cestrie, quorum cartas inspeximus.

Et ut omnia prescripta predictis canonicis integra permaneant et illesa, eadem scripti et sigilli nostri munimine duximus confirmanda.